



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Idea Theologiæ Specvlativæ

Petrus <a Sancto Josepho>

Coloniæ, 1648

XVI. De quibusdam aliis ad voluntatem Dei spectantibus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38884

CAPUT XVI.

De quibusdam aliis ad voluntatem Dei spectantibus.

RESOLUTIO I. *Voluntas Dei est causa rerū.* Ita hoc nō est difficultas, præsertim iis suppositis quæ de libertate Dei capite præcedenti dicta sunt. *Dubitat̃ autem 1.* Num intellectus divinus propinquius, seu immediatius concurrat quàm voluntas, qua in re dicendum videtur, utrumque in suo genere immediatè operari: voluntatem quidem quoad applicationem & exercitium, intellectum verò quoad directionem, & veluti specificationem.

Secundò dubitat̃, an sit in Deo potentia quædam executiva, ratione distincta ab intellectu & voluntate, & quidnam illa sit. Respondeo 1. talem potētiam admittendam esse, si quidem non ideò Deus est omnipotens, quia cognoscit, aut quia vult omnia; quin potius omnia cognoscit, quia est omnipotens, omniaque eminenter continentur in illius omnipotentia, neque potest velle aliquid nisi quia est omnipotens ad illud faciendum; quare secundum rationem est prior Dei omnipotentia, quàm intellectus, aut voluntas illius.

Respondeo 2. Potentiam exequentem in Deo esse ipsammet essentiam divinam: quia sicut illa eminenter continet omnia possible, ita est omnipotens ad producendum quicquid voluerit; si accedat scientia ut dirigens, & voluntas ut eligens & applicans.

Tertiò dubitat̃ qualis sit potentia Dei, & ad quæ se extendat. Respondeo 1. ex S. Doct. 1. p. q. 25. art. 2. potentiam Dei esse infinitam, ut patet, tum ex illo *Luce 1.* Quia non erit impossibile apud Deum, omne verbum; tum quia nullus possibilis est effectus adeo perfectus, qui per illam produci non possit. *Hinc autem patet in Deo veram esse omnipotentiam, quæ in eo consistit, ut possit Deus facere quicquid absolute fieri potest, seu quicquid non implicat contradictionem, ut colligitur ex art. 3.*

Respon-

Respondeo 2. ex art. 5. Deum potuisse multa facere quæ non fecit, & ex art. 6. potuisse etiam producere species nobiliores iis, quas de facto produxit, itemque res productas potuisse meliores facere quoad accidentia, non essentialiter, eo quod essentialiter rerum sunt immutabiles; non tamen posse Deum aliquid facere melius unione hypostatica, beatitudine sanctorum, & maternitate Virginis Deiparæ, ut habes articulo 6. in respons. ad 4. quia nempe illa sumunt dignitatem quandam infinitam, ex speciali ordine quem ad Deum habent.

RESOLUTIO II. *Nulla potest dari causa propria divinæ volitionis siue efficiens, siue finalis; potest tamen dari impropria seu virtualis, imò una res creata potest ipsi esse aliquo modo proxima ratio volendi aliam.*] **PRIMA PARSEST S. Thomæ 9. 19. art. 5.** ubi ex eo probat nullam esse causam divinæ voluntatis, quia idem nequit esse causa sui ipsius; at Deus unico actu vult finem & media, quare velle finem non est ei causa volendi media.

Accedit quod volitio divina nõ distinguitur à parte rei à natura divina, cujus nulla assignari potest causa efficiens aut finalis propriè dicta; cum Deus sit ens à se; & à quocunque alio independens.

Secunda pars suadetur, quia sicut unum attributum est causa virtualis alterius, puritas immutabilitatis, hæc æternitatis; ita non repugnat concipere in Deo voluntatem, veluti radicem volitionis actualis, & causam virtuales illius: & similiter quia Deus vult omnes creaturas propter seipsum, dici potest volitionem sui, juxta nostrum conceptum, esse finem volitionis creaturarum.

Tertia denique suadetur, nam vix negari potest, quin Deus aliqua re creata proximè moveatur ad volendum aliquid: cū ex Scriptura & Patribus aperte cõflet, Deum homines amare, quia ab illis amatur, illis varia conferre beneficia, quia illa postulant, aut merentur; eos justificare, quia ad gratiam se disponunt,
 &c.

&c. Neque cum aliquo fundamento dici potest, e-
jusmodi locutiones causales toties repetitas, impro-
priè & metaphoricè intelligendas esse, ita ut non
contineant rationem ex parte objecti creati, propter
quam Deus hoc, aut illud velit. Præsertim quia in eo
agendi modo nulla assignari potest imperfectio, quæ
supremam Dei indépendentiam & dignitatem de-
decat: eo quod etsi proximè unum velit propter a-
liud, omnia tamen finaliter reducit ad seipsum, & ad
suam bonitatem: cujus maximè gratia operatur.

RESOLUTIO III. *Deus non necessitat voluntatem nostram ad agendum.* EST DE FIDE contra hu-
jus temporis hæreticos, qui oppositum docent, ad-
eoque existimant nos non agere liberè: probari autè
breviter potest ex iis quæ Scriptura sacra, Patres anti-
qui, & Theologi communiter de libertate tradunt,
ea enim apertè ostendunt Deum non imponere ho-
minibus agendi necessitatem, sed eos relinquere in
manu consilii sui, id est; cum perfecta indifferentia
ad agendum vel non agendum, itemque ad agen-
dum hoc vel illud.

*Idem sumitur ex vulgari definitione libertatis, ab
omnibus communiter approbata, qua illud liberum
dicitur, quod positis omnibus ad agendum prære-
quisitis, potest agere, vel non agere; nam inter præ-
requisita ad agendum, requiritur maximè concur-
sus Dei in actu primo paratus, cum sine illo causa se-
cunda non possit dici completè & proximè potens
ad agendum: unde eo concursu sic oblato, adhuc vo-
luntas quæ libera est, & liberè operatur, manet in-
differens ad utrumlibet, neque habet necessitatem
eligendi unam partem determinatè.*

*Denique Concilium Trident. volens juxta men-
tem Scripturæ sacre, & sanctorum Patrum, liberta-
tem nostram defendere in actibus supernaturalibus,
in quibus specialis difficultas reperitur, propter in-
fluxum gratiæ efficacis ad eos requisitæ, quæ agen-
di necessitatem inducere videtur, sapienter statuit*
S. S.

sess. 6. cap. 5. & can. 4. hominem à Deo motum & excitatum posse gratiam abjicere, eique dissentire si velit; quare post aded claram hujus Concilii definitionem, dici non potest à viro Catholico, de rebus fidei bene (ut par est) sentiente, gratiam divinam nobis imponere necessitatem agendi, aut quod in idem redit, voluntatem nostram non posse eam abjicere, seu illi dissentire. Adhuc tamen gravis controversia manet inter recentiores Theologos, de vero sensu prædictæ definitionis, cum alii contendant eam debere intelligi in sensu composito, alii duntaxat in sensu diviso, qua de re fusè in suavi Concordia disput. 2. sect. 4.

RESOLUTIO IV. *Absolute loquendo & nulla suppositione facta, nullus esset in rebus effectus contingens seu liber, si Deus ageret ex necessitate naturæ, ex supradictis: essent tamen effectus contingentes & liberi, si supponas dari causas contingentes, Deumq; ex necessitate naturæ in offerre eundem concursum, quem nunc de facto illi libere exhibet.]* **RATIO** est evidens, quia posito tali concursu in actu primo, voluntas non necessitaretur ad unum, sed maneret indifferens ad utrumlibet, ergo ageret liberè. *Confirmatur*, nam Deus supposito æterno decreto nobiscum concurrenti, non potest nobis ejusmodi concursum denegare, quin potius non minus necesse est ut nobis illum exhibeat; quàm si ageret ex necessitate naturæ, & tamen liberè operamur: ergo quamvis Deus necessario ad actus nostros influeret, quantum esset ex parte sua, illa necessitas libertatis usum in nobis nequaquam impediret.

Neque hinc sequitur, quod vera radix contingentia actuum nostrorum non sit voluntas Dei, sed nostra: quia etsi quod actus nostri sint liberi & contingentes, hoc proximè habeant à nostra voluntate, quatenus hæc antequam ageret, potuit non agere, id tamen ultimè petendum est à summa efficacia voluntatis Dei, qui ut ait S. Doct. supra, volens quædam fieri necessario, quædam contingenter ut sit ordo in rebus

rebus, ad complementum universi, quibusdam effectibus aptavit causas necessarias, aliis contingentes & defectibiles.

CAPUT XVII.

De variis affectibus & virtutibus divinae volitionis.

RESOLUTIO I. *In Deo sunt quidam affectus voluntatis, non alii.*] IN PRIMIS quod amor sit in Deo probat S. Thomas 1. p. qu. 20. art. 1. quia primus motus voluntatis, & cujuslibet appetitivæ virtutis est amor; siquidem priores sunt actus respicientes bonum quàm malum, cum hoc non sit objectum nisi secundarium, & per aliud, nempe ut opponitur bono. Rursus cum illud sit naturaliter prius, quod est communius, inter actus qui in bonum feruntur prior erit amor quam alii, cum ille respiciat bonum in communi, reliqui vero in bonum ferantur sub aliqua speciali ratione: cum ergo voluntas sit in Deo, ut superius visum est, sequitur etiam in eo amorem esse ponendum.

Secundò, desiderium quatenus fertur in bonum, proprium nondum obtentum, non est in Deo, ut indicat S. Thomas ad 2. quia scilicet Deus nullo bono sibi proprio carere potest; est tamen in Deo desiderium respectu boni alieni quatenus verè nobis & sincerè optat beatitudinem, quam nondum possidemus.

Deinde gaudiū, seu delectatio propriè est in Deo, ut tradit S. Thomas ibidem, & ratio est manifesta, nam gaudium est actus quo voluntas conquiescit in fruitione, seu possessione rei amata; at Deus in seipso perfectissimè quiescit, ergo in eo est gaudium respectu boni proprii. Imò cum Deus vere creaturas amet, consequenter de bono illarum gaudet, quando presens est; sicut illud desiderat, quandiu obtentum non est.

Rursus in Deo est odium, ut perspicuum est ex verbis illis. *Sapientia 14.* Odio sunt Deo impius & impietas

E

impietas